



70

Angeb. 1

DISSERTATIO PHILOSOPHICA
DE
ANIMA RATIONALI,

Quam,

Divinâ assistente gratiâ,

EX DECRETO ET AUTHORITY
AMPLISSIMÆ AC CELEBERRIMÆ
FACULTATIS PHILOSOPHICÆ IN ILLUSTRIS
ACADEMIA MARBURGENSI,
PRÆSIDE

VIRO

Excellentissimo, Clarissimo atq; Acutissimo
DN. ABRAHAMO BOOTS,
L. A. & Ph. M. Historiarum ac Eloquentiæ
PROFESSORE Ordinario, Præceptore, Patrono,
ac Promotore suo plurimum
devenerando,


Pro MAGISTERII laureâ ritè obtinendâ,

ad diem XXX. Novembris hor. solit.

In Auditorio ad Nudipedes

Publico Eruditorum Examine subijcitur

JOHANNES ADAMUS Schönfeld/
WASENBERGENSIS HASSUS.



MARBURGI CATTORUM.

Typis SALOMONIS SCHADEWITZII, Acad. Typogr.
Anno M.DC.LXXII.

Spectatissimis, Prudentissimis
atq; Integerrimis
VIRIS

DNN. CONSULI,
CONSULARIBUS,
Reliquisq; Reipublicæ Ziegenhai-
nensis Gubernatoribus & Senatorii Ordinis Vi-
ris &c. Mecœnatibus, Patronis ac Promo-
toribus suis nunquam non deve-
nerandis, colendis,

*Dissertationem hanc Philosophicam in grati-
animi signum, ac sui suorumq; studio-
rum ulteriorem commendationem
dedicat & offers*

Joh. Adamus Schönfeld.



E. O.



Elebris illa, sive Chilonis, sive Pythagoræ aut Thaletis, vel quicumque eius fuerit author, sententia, foribus templi Delphici ab Amphictyonibus inscripta, *γνῶσι σεαυτὸν*, *cognosce te ipsum*; quamvis in vulgus nota, omniumque ferè ore oberret, à paucis tamen, imò

paucissimis certo animi iudicio ponderatur, ac ratione, tanquam æquissimâ lance, æstimatur: vixque decimus quisque est, qui ipse sese noverit. Et sanè, quomodo quispiam intima aurei huius elogii viscera penetrare, istiusque nobilitatem cognoscere poterit absque animi sui notitiâ, absque mentis suæ cognitione? Opus enim est magno, ne dicam indefesso, ad animam nostram cognoscendâ labore, quem nemo subterfugere debet, cum ob summam eiusdem naturæ excellentiam cognitio istius admodum sit illustris omniumque præclarissima; ut quæ non è cœno facta aut massâ rudi, sed à Sanctâ illâ & purissimâ venit mente, cujus imaginem luculentè refert. Sufflavit enim Spiritus Domini in nares hominis primi, primum vitæ halitum. Hæc illa natalitia animæ nostræ, pulchra satis, augusta satis. Est igitur animus de ANIMA RATIONALI theoremata quædam publicæ disquisitioni subicere, eaque ventilanda proponere;

A 2

quæ

quæ difficilia satis ac seriâ indagatione digna, etsi tenuitas mea pro dignitate elaborare non sinat, de iis tamen, si non accuratè differere, attamen balbutire quid nocebit? Tu verò, gloriose Deus, adesto; Tu mentem rege & move linguam. Da nosse me, quia nosse me est nosse Te. Quisquid est in me, id est à Te, id est ad Te.

Theorema I.

Anima rationalis est spiritus intelligens, incompletus & dependens.

Nitido splendore coruscans Speculum, æmulâ ex se resultante umbrâ, ut acceptam imaginem accuratè repræsentat, verumque imitantia simulacra perspicuè reddit; ita & definitio, quæ est quasi speculum, per quod res explicanda clarè perspicitur, definiti rationem istiusque naturam exactè demonstrat, nobisque aspectu ignota, intellectu cognita facit. Proinde in formandis iisque proponendis magna adhibenda cautio, ne idem nobis obtingat, quod olim Platoni, Philosopho aliàs sagacissimo & Philosophorum facilè principi, qui hominem definiverat, *animal bipes implume*; quod tanquam ridiculum audiens Diogenes, in scholam Platonis gallum deplumatum immittebat, *En hominem, exclamans, Platonicum!* Quamobrem nos juxta leges bonæ definitionis animam rationalem ita definiendam putamus: *Anima rationalis est Spiritus intelligens, incompletus & dependens.*

Constat enim definitio hæc nostra genere ac differentia. **GEN**ERIS loco est *Spiritus*; & quidem meritò: Prædicatur enim de pluribus specie differentibus in quid, nec repugnat dicere: *Deus est Spiritus. Angelus est Spiritus.*

Ubi tamen notanda venit varia vocabuli *Spiritus* significatio; in hoc negotio autem sufficiat tripliciter sumi. 1. *Latè*, quatenus significat corpus tenue & subtile, quo sensu ventus sæpe vocatur Spiritus. 2. *Strictè*, & idem est ac halitus animantis. 3. *Strictissimè*, prout denotat

nōtat substantiam in se immaterialem, incorpoream, omnis materiæ ex quâ expertem, & quæ corpori adæquatè opponitur. Duabus prioribus significationibus, ut hoc loco heterogeneis, relictis, tertiam retinemus, ac animam rationalem ab omni mole corporeâ vacuum pronunciamus, utpote quæ Spiritûs strictissimè sic dicti affectionibus cùm positivis, tum negativis gaudet.

DIFFERENTIÆ vicem cœtera supplent vocabula; *intelligens*, *incompletus*, *dependens*. Nec abs re, hæc enim Spiritui addita, animæ rationalis essentiam exprimunt eamq; ab omnibus aliis speciebus distinguunt. Et quidem vocabulum *intelligens* distinguit eam ab animis brutorum & plantarum, seu sensitiva & vegetativa, quæ licèt suo modo etiam sint spiritus, utpote ex nulla materia concretæ, quamvis materiæ immersæ, sine qua esse nequeunt; tamen intelligendi & volendi facultate carent: rationalis autem anima utrâque facultate pollet. Vocabulum autem *dependens*, distinguit eam à Deo, utpote qui est ens omninò independens; vocabulum *incompletus* verò, distinguit eam ab Intelligentiis, ut quæ sunt completæ, & ex se & suâ naturâ ad alterius intrinsecum complementum non ordinatæ.

Dicimus autem eam *dependentem*, nec ineptè; ea enim, ut sit, habet per dependentiam ab alio, eidemq; neuter modorum, secundum quos unum ab alio, tanquam simpliciter independente, dependere dicitur, repugnat: Siquidem dependet *ratione sui esse*, quod non habet à se, sed ab independente receptum vel communicatum. Dependet *quoad annihilationem*, quia ad nutum independentis desinere vel in nihilum redigi potest. Dependet *in operando*, quia nihil operari potest, nisi accedente independentis actuali concursu.

Dicimus quoque eam *incompletam*, sumpto vocabulo hoc non *participialiter*, aut pro inchoato & nondum consummato, sed *nominaliter*, quatenus denotat tale ens, quod non habet essentiam in se terminatam, sed ad alterius constitutionem & intrinsecum complementum suâ naturâ ordinatam. Est enim ex primariâ naturæ intentione ad totius constitutionem ordinata, adeoque pars, & respectum ad corpus habet essentialem, cùm in statu conjunctionis, tum in statu separationis.

Theorema II.

Anima rationalis est immortalis.

SI quod dignum ventilatione theorema, si quæ scitu necessaria quæ-
stio, est certè hæc de animæ immortalitate, de quâ non solum in-
ter antiquissimos Pherecydes, Philosophus ac Poëta sat celebris, sed &
post hunc alii in Academiis, in Lyceis, in Stoicorum porticu cœte-
risque philosophantium gymnasiis acriter disputârunt, dignam vide-
licet rati controversiam, in quâ hominum ingenia desudârent, cum
hoc in puncto omnium causa agatur. Ea enim disputatio est, unde
non solum divini Numinis colendi ratio magnâ ex parte dependet, sed
& vita nostra ad omnia bona peragenda componitur. Proinde ad
hanc materiam taliter qualiter elaborandam, nos accingimus.

Nota tamen in antecessum, IMMORTALE multifariam dici con-
sueviffe. Nam 1. sumitur pro eo, *quod, quamvis habeat principium,
& finem sui esse, multùm tamen durat, & hoc sensu quercus inter ar-
bores dicitur immortalis.* 2. pro eo, *quod neq; principium, neq; fi-
nem habet, nullaq; potestate, ne quidem supernaturali aboleri potest: quo
pacto solus Deus immortalitatem habere verè dicitur.* 3. pro eo,
*quod principium quidem habet, sine tamen caret, quòd q; suapte naturâ
nequit interire, quamvis per absolutam Dei potestatem deficere possit;
cujusmodi sunt angeli & id genus alia.* 4. pro eo, *quod initium quidē ha-
bet & sine caret, non tamen suapte naturâ, sed, licet habeat intra se cor-
ruptionis principium, speciali tamen beneplacito & actione Dei conserva-
tur, ne pereat: quo sensu v.g. equus à Deo in æternum conservatus,
esset immortalis.* Secundo & tertio modo dicitur quid immortale
per naturam: postremo autem, per gratiam.

Dicimus nunc: ANIMAM ESSE IMMORTALEM, & quidem PER
NATURAM. Quid enim? Nonne substantia per se subsistens, purè
spiritualis, & à materiæ concrezione planè libera atque immunis esset
immortalis? Nonne corruptionis ab agente creato intentatæ esset
expers? Inò certè; cum talis substantia spiritualis omnino intrinse-
cè sit expers contrarietatis, sit expers qualitatum materialium contra-
riarum sese invicem destruendum, sit etiam immunis ab aliis qualita-
tibus materialibus, quæ sunt ad extra. Quis enim nescit debilius non
agere cum victoriâ in fortius, & quidem maximè disproportionatum?

Jam

Jam autem, si qualitates materiales ad extra agerent destruendo in spirituale, agerent certè in validius, agerent in fortius, & quidem maxime disproportionatum. Et sane, quomodo istiusmodi substantia spiritualis corrumpi posset ac mortificari, cum corruptio & mors fiat per dissolutionem unius ab alio? per segregationem seu dissociationem particularum aut partium ad sua elementa seu principia redeuntium? Annon, quæso, corruptio ligni accidit ex dissolutione ac separatione formæ ligni ab ejus materiâ? annon mors equi provenit ex avulsione formæ equi ab ejusdem corpore? Esset certè ridiculum substantiæ spirituali tribuere dissolutionem partium separabilium, quas non agnoscit; esset puerile ex separatione tali, quam ob carentiam partium excludit, mortalitatem atque corruptionem adstruere.

Jam verò anima rationalis est substantia per se subsistens, purè spiritualis & à materiæ concretione planè libera atque immunis. Idquæ; vel exinde; quia operationes ejus, (utpote, quæ indicant essentiam, siquidem modus operandi sequitur modum essendi,) intelligere nimirum, velle, &c. non dependent à materiâ. Et quomodo, quæso, dependerent, cum intelligamus immaterialia, spiritualia, universalia, &c. cum hæ operationes competant quoque ipsi Deo, Enti extra dubium simplicissimo?

Velles fortasse nominare aliquod ὄργανον intellectioni ac volitioni accommodatum, quo mediante actus intelligendi & volendi exercentur, quemadmodum ad visionem & auditionem deputavit natura & oculos & aures? Nomina, si potes; frustra certè, cum tale non reperias, illud quæres. Erit enim tale organum aut nostrorum corporum proprium, aut etiam brutorum corporibus commune. *Si illud*: assignes, sicut non in brutis reperiatur, & Phyllida solus habeto: quod, ut hæctenus nondum præstitum, ita studiosissimus licèt indagator Anatomicus, nihil invenies, quo nos à brutorum visceribus scernas. *Si hoc*: Bruta rationis organo gaudebunt, & tamen sine ullo fructu; ut hîc, naturam contra suum scopum quid frustra fecisse, sit dicendum, quod nunquam sortiri poterit effectum.

Quâ tandem ratione, anima si non esset spiritualis, sed materialis, posset cognoscere Deum, Angelum, ac reflexivè semetipsam, cum sic inter objectum cognoscendum spirituale, ac cognitionem vel potius animam cognoscentem materiale, nulla intercederet proportio?

portio? quæ tamen necessariò requiritur; quod vel inde patet, ut exemplo aliquo comprobem: Sit speculum, in quo relucet rei imago, oportet certè cum eâ re proportionem habeat, alioquin in eo exprimi non posset. Unde facilis est ratio, quæ fiat, quòd in speculo corporeo rerum tantùm corporearum imagines resplendeant, non autem spiritualium; quod non æquè imago animi nostri, speculo tali recipi possit, ut quidem recipitur corporis & faciei nostræ: Talis scilicet est causa, quod non sit proportio inter speculum corporale & animum nostrum spiritualem. Cùm itaque intellectus noster & animus cognoscens sint instar speculi, in quo imagines rerum etiam spiritualium imprimuntur, proportionem aliquam intercedere necesse est, cumq; talis intercedat, animumq; res spirituales intelligere atque contemplari sciamus, absque veritatis eclipsi non poterit dici materialis, sed summo jure spiritualis audit.

Hæc in medium producta pro animæ immortalitate stabilienda, si fortè homini cyclopicè temerario non sufficiant, perpendat secum ac in animum revocet justitiam ac providentiam divinam. Putasne ad providentiam & justitiam divinam spectare pœnam vel præmium singulis retribuere pro ut fuerint meriti? Putasne actiones bonas præmio esse ornandas, malas autem pœnam mereri? Quem verò locum infligendi pœnas, quod tempus largiendi præmia determinabis, si animam pereunte corpore non superstitem esse gannis? cùm tamen certius certò constet, bonis in hâc vitâ sæpe malè, malis nonnunquam bene esse. Quod si concedis, uti concedas oportet, esse aliquod post hanc vitam remunerationis vel pœnæ tempus, esse aliquem vel infligendi pœnas vel largiendi præmia locum, animam pereunte corpore non perire, verùm eam superesse innoxiam; quid superest, quàm ut concedas, ANIMAM ESSE IMMORTALEM?

Nisi, quòd argumentum hoc enerves, velles dicere: *licet anima rationalis post mortem non supersit, adhuc tamen malos non esse impunitos, nec sine premio bonos*: Quòd in illis conscientia morlus sit pœna, quòd illi, ob facinorum recordationem perpetuo sint in metu, animi ipsorum crucientur, pœnæque timore angantur, quòd tremant & palpitent non tantùm ad igne micantia fulmina, ad horribilia animosq; terrificantia tonitrua, uti de Caligula refert *Suetonius*, quod ad minima etiam tonitrua & fulgura connivere, caput obvolvere, ad majora

verò

verò proripere se è strato sub lectumque condere solitus fuerit: non tantum ad prægrandi pondere grandines mistasque stridore procellas, verum etiam ad foliorum tenuem strepitum aut januarum minimum stridorem pedumve suppletionem. Nonne hæc omnia, *dices*, & innumera alia, sunt malorum poenæ sat graves? Nonne hæc omnia sufficiens ac carum satis sunt pretium tam brevis & vix momentanei gaudii?

In his autem, nempe *bonis*, virtutis retributio, *dices*, tranquillitas est animi, conscientia bona, quam justus confidit ut leo, & quamvis mundus, capax rerum natura, ruat pessimumque daretur, tamen pii sanctorumque turba pusilla imperterrito intrepideque sunt animo, nec contristantur, quicquid iis acciderit: Uti beatus LUTHERUS WORMATIAM citatus, cum OPPENHEMII ab amicis quibusdam admoneretur, ne WORMATIAM, ubi contra datam fidem fortassis non adeo bene susceptum Dei metus esset, proficisceretur, constanti animo summaque mentis tranquillitate respondisse fertur: Etiam si tot Dæmones, tot diaboli, quot tegulis, quot lateribus omnium ædificiorum culmina tecta sunt, ibi degerent, tamen eò proficiscar, fidei testimonium deponam eamque ad mortem usque defendam. Verba, uti *Tom. 9. op. Luth. germ. Wittenb. excus. fol. 107.* habent, juvat apponere: Und da ihm zu Oppenheim/ da er solches am ersten erfuhr/ (daß nemlich seine Bücher durch öffentliche angeschlagene Mandat verdammt wehren) von vielen seiner Freunde gerahen ward/ er solte sich selbst nicht in Gefahr begeben/ weil er sehe/ daß dieser Sachen Anfang/ wider das gegebene Geleite/ sich so übel anliesse/ gab er ihnen mit grosser Freudigkeit diese Antwort: Wolan/ weil ich erfordert und beruffen bin/ so hab ich bey mir gewiß beschlossen/ hinein zu ziehen/ im Namen des H. Ern Jesu Christi/ wenn ich gleich wüßte/ daß so viel Teuffel drinnen wehren/ als Ziegeln auff allen Dächern sind. *Insignis, dices*, animi constantia, maxima certe delectatio ac sufficiens retributio virtutis.

At verò, quam elumbis exceptio, quam debilis argumentatio, quam ficulnea instantia: indigna certe Plebejo, ne dicam, Philosopho. Dic quæso! quomodo delectatio in bonis sufficiens poterit esse virtutis redhostimentum, cum rarius, imò rarissime illa animi voluptas aut delectatio bonæ conscientie in hac vitâ sit perfecta? cum miseriâ, labore, tribulationibus atque persecutionibus misceatur? Atque ita, quæ videretur felicitas, maxima miseria foret. Si enim

B

Hassius

Huffius quidam constans religionis defensor pro religione martyrium passus est; si fortissimus pro patriâ miles occubuit; Sat ne præmii datum putas, quia dolores intolerandos, mille mortes passi sunt? Absit, imò absit quàm longissimè. Quomodo amabo! conscientia remorsus poterit esse pœna malorum, cùm & impii subinde sint tranquilli? cùm eo ipso, dum peccant, sint securi, quòd peccando callum obdlexerint, ut vix ullum conscientia remorsum sentiant? Quomodo improbos tremere ac palpitare dices, cùm monstrum regiminis Caligula jovi tonanti tonitru artefacto superbè respondere ac minaciter clamitare conetur: *Aut ferè me aut ego te feriam*. Posito tamen, quòd interdum tremant ac palpitent, illis tamen hoc non erit loco pœnæ, quòd malum plus habeat voluptatis, quàm conscientia stimulus miseria. Manet ergo, si in hâc vitâ probis sapius malè, improbis benè est, post mortem id fortis animam manere, qualem meruisse decrevit divina justitia, **EAM OMNINO ESSE IMMORTALEM & quidem PER NATURAM**; quod sufficientissimè patet ex suprà traditis, iisque bene consideratis.

Theorema III.

Status animæ separatae non est *supernaturalis*, non est *contra naturam* & *positive* violentus, non est *purè naturalis*, sed *privative* violentus, seu *praternaturalis*.

Antecedens theorema, quemadmodum madidam colluctandi exhibet palæstram, ita non minùs præsens hoc amplissimum nobis ostentat disputationis campum. Age ergo! pericitemur aliquantis-per audaces & intrepidi, fluctuantes fortassis animos eriget salutaris & prosperæ cujusdam stellæ fulgor. Non oportebit autem nos segnes esse in distinguendo, cùm magnum ad perspicuitatem adferat adjumentum novisse, quot quidque modis dicatur; propterea vocis ipsius usus priùs cognoscendus, à quo sæpe numero provehimur in rei perceptionem.

NOT.

NOT. igitur I. quòd animæ separatæ status *dupliciter* possit spectari: 1. *in ipso separationis fieri*, quatenus sumitur pro ipsâ actuali separatione animæ à corpore. 2. *In facto esse*, quatenus jam separata est & actu existit extra corpus. Quando separatio est *in ipso fieri*, non dubito, quin status animæ separatæ sit *violentus* & quidem *absolutè* vel *positivè*. Quicquid enim prorsus est contra inclinationem hominis in statu naturali constituti, ejusque essentiam destruit, minimè naturale, sed potius violentum & quidem positivè tale esse duco. Et nonne sic esset? cùm separationi essentiæ humanæ destructionem illaturæ, quantum potest homo resistat, innatâ virtute deperditas dispositiones recuperare, recuperatas tamdiu retinere nitatur, quousq; à contrario valentiori non superetur. Nonne hoc evidens, sat manifestum violentiæ absolutè ita dictæ est indicium? Hanc verò significationem cùm jam non attendamus, ab ulteriori probatione supersedemus ac postquam cæteras vocum ambiguitates resolverimus, ad alteram significationem, nempe statum separationis *in facto esse*, nos accingemus.

NOT. II. Separationem aliam esse *realem*, aliam *mentalem*. Hæc est, cùm *mentis abstractione*, non tantum in rebus maximè unitis, sed & in re prorsus eadem, si juxta varios ejusdem rei inadæquatos conceptus rem apprehendamus, secundum hunc conceptum, dimisso alio, unum ab alio separamus: Sic si apprehendam æternitatem Dei dimissâ vel non conceptâ potentiâ. Et de hæc mentali separatione hic non est sermo, sed de *reali*, quæ iterum est *duplex*, vel *positiva* vel *privativa*. Hæc est *cum alterutro*, quod separatur, *interitu*. Illa est, cùm *utrumq;* separatorum post separationem subsistit; Et tribuimus peculiariter animæ rationali; non quidem, ut fiat necessariò per distantiam localem, quæ non semper requiritur. Quemadmodum enim unio, quam habet anima ad corpus, non est nuda præsentia animæ ad locum corporis, sed istâ præsuppositâ substantialis insuper requiritur *ἐκχώρησις* vel *immediatio*, quæ à parte rei nihil aliud est quàm informatio; ita etiam separatio animæ à corpore non consistit formaliter in absentia locali animæ à corpore, sed sufficit desistentia illius substantialis unionis & desitio informationis.

NOT. III. Triplicem hoc in loco τῆ naturalis esse significationem. Dicitur enim 1. omne illud naturale, quod est natura con-

*gruum, ac consentaneum eius propensione, & vocatur PURE NATU-
RALE. 2. naturale dicitur quod non est hyperphysicum seu supra
naturam. Est autem hyperphysicum, quod nullis natura viribus pot-
est perfici, seu, quod non convenit nisi ex superveniente actione Dei spe-
ciali. 3. naturale opponitur violento. Est autem duplex: vel positi-
vum vel privativum. Violentum positivum est, quod est ab extrin-
seco & contra naturalem rei inclinationem, & cui res ipsa per suam
formam aut naturam positivè resistit. Et hoc vocatur CONTRA NA-
TURAM. Privativum est, quod rei non competit ex propriâ particu-
lari ac specificâ suâ naturâ, neque ei convenit ex propensione naturali,
cùm tamen in re oritur, ipsius nature non repugnat, nec eam destruit,
nec vim aut violentiam ei infert. Et hoc dicitur PRÆTER NATU-
RAM seu PRÆTERNATURALE.*

Dicimus nunc I. STATUM ANIMÆ SEPARATÆ NON ESSE SUPERNATURALEM. Quæ sententia adeò manifesta, ut nemo sanæ mentis eam negare poterit. Et sanè, quomodo absque animæ incorruptibilitatis, quæ ei ex natura competit, detrimento negabit? quomodo contrariâ sententiâ positâ animæ immortalitas natura talis constabit? Non certè ad sui conservationem, postquam à corpore separata est, quod fieri posse ut certum præsupponimus, requirit extraordinariam, specialem & miraculosam Dei actionem conservativam, qualis requirebatur ac cernebatur in conservatione natationis fetri natantis, & qualis conspiceretur si forma bruti à morte superesset ac separata persisteret. Sufficit enim ad animæ permanentiam generalis ac ordinarius divinæ conservationis influxus, quem anima ex se & suâ naturâ immortalis ut admittit, ita supernaturalem ut supervacaneum & minimè sibi necessarium, si non repndiat, certè tamen non requirit.

Dicimus II. STATUM ANIMÆ SEPARATÆ NON ESSE CONTRA NATURAM ET POSITIVE VIOLENTUM. Contraria sententia ut ut aliquos etiam invenerit non infimæ dignitatis Patronos, quos alii aliter interpretantur; Nos tamen istâ relictâ hanc meritò defendimus. Siquidem anima in statu separato non requirit, quod tamen omne in statu violento constitutum expostulat, ut detineatur per aliquod agens extrinsecum, prohibens à tendendo ad statum unionis ut sibi purè naturalem, quemadmodum lapis ab agente aliquo extrinseco

erinfeco in loco superiori violenter detinetur, & hoc remoto innatâ gravitate deorsum vergit, suumque naturalem repetit locum. Et quomodo detineretur violentè, cum anima, substantia spiritualis ex se & sua natura existere potentiam habens, ad hoc, ut existat, non requirat agens aliquod extrinsecum? Cui igitur usui esset extrinseca illa causa existentiam animæ conservans, cum sufficientibus instructa sit viribus post separationem à corpore remanendi? Esset certè supervacanea actio, esset sanè supervacuus influxus.

Dicimus III.^o STATUM ANIMÆ SEPARATÆ NON ESSE PURE NATURALEM. Hæc sententia ab insignibus & Neotericis quidem Philosophis quamvis sedulò impugnetur, variisque argumentis oneretur, attamen ut victrix palma oneri imposito invicta resistit verticemque in oppresso micantem fortiter attollit. Quidni attolleret? Non enim verisimile puto, illud naturale esse, quod animam fine suo principali & conditione maximè naturali, ad quam inclinationem habet, privat; definitio enim r̄ naturalis longè aliter docet. Separatio autem animæ à corpore, quid aliud facit? Nonne hoc est animam conditione maximè naturali privare, si impediam quò minùs actu sit pars essentialis totius, hominis puta? Si unionem actualem cum corpore, quæ ei ex primariâ naturæ intentione convenit, tollam? Si informationem corporis, quæ ei ex naturæ ordine debetur, præscindam? Vah! quid est, si hoc non est tollere finem animæ principalem & conditionem maximè naturalem?

Cum nunc removerimus ab animæ statu, quòd non sit *supernaturalis*, non *contranaturam* & *positivè violentus*, non *pure naturalis*, quid reliquum, quàm ut concludamus, quicquid etiam subtilitatis Petrus à S. Joseph, *phys. lib. 3. cap. 9. de an. sep. q. 2. p. 447.* afferat; STATUM ANIMÆ SEPARATÆ ESSE PRIVATIVE VIOLENTUM SEU PRÆTERNATURALEM.

Theorema IV.

Anima rationalis in statu separato potentias tam organicas quàm inorganicas retinet.

Laboriosa fugere cum minimè pulchrum, ac cessatio ingenuo veritatis studioso sit ignavia, non licuit præsens hoc theorema sicco,

B 3

quod

quod ajunt, præterire pede illudque intactum relinquere. Placuit itaque & hanc jucundam satis suaque difficultate non carentem subijcere positionem. Acriter autem utramque in partem à summis Philosophis disputatur: Nos, qui haud mancipia sumus alienæ libidinis, videbimus vero quid consonet, quidvé à vero aberret, tritumque illud philosophicum observabimus: *Amicus nobis Plato, amicus Aristoteles, sed magis amica Veritas.* Sub nomine *potentiarum organicarum*, veniunt nobis facultates animæ tam vegetantis, nempe potentia nutritiva, auctrix & generatrix, quàm sentientis, ut, potentia sensitiva, appetitiva & locomotiva, (ea quæ corpus movetur motu animali, vel, quæ motum edit per corporis membra.) Vocamus verò eas organicas, non quasi intrinsecè, in se, & quoad entitatem sint materiales ac corporeæ, & quòd ipsæ quoad substantiam suam dependeant ab organis corporeis & materialibus, sed ideo, quia actus illarum fiunt per commercium corporis, & operationes ipsarum dependent ab organis corporeis. *Potentia inorganica* denotant tales potentias, quæ ad actus suos exerendos non indigent certis aliquibus organis ac instrumentis corporeis, sed sine illis existere & ad actum transire possunt; quas etiam hanc ob causam insignimus nomine *potentiarum inorganicarum*: tales autem sunt intelligendi & volendi facultates seu potentia.

Has posteriores utpote ab omni materiæ adjumento immunes, animæ separatae non denegabit, nisi insipiens & acuti pectoris expertus; non detrahet ei, nisi qui aperte falsum, & actum tantum non verò potentias ipsas in animâ superstites esse, asserere non erubescat. Cum igitur neminem tam ægri sincipitis, tam cæco errore correptum speremus, à supervacaneâ, ne operam ludamus, probatione abstinemus.

De prioribus autem major erit difficultas. Ibi, *dicet pars adversa*, invenietis quod agatis, ibi habebitis, cui operam & quidem indefessam impendatis. At verò non adeò difficilis assertio hæc erit probatu, non tantus, quantum, & quem quidem inanem adversarii falsò sibi imaginantur, requiritur labor ad assertum hoc probandum. Quare enim non superstites manerent illæ potentia cum anima, quæ non possunt separari ab animâ? Quare separarentur tales facultates ab animâ, quæ unum & idem sunt cum animâ? quæ realiter identificantur

cantur

cantur cum anima? At verò potentias organicas non posse separari ab anima, facultates vegetativas & sensitivas esse unum & idem cum anima, esse realiter identificatas cum animâ, quid obstabit ut statuamus? quid impediet ut asseramus? Præsertim cùm entia citra necessitatem non sint multiplicanda, & hæctenus quidem nulla urgens necessitas, potentias ab animâ separandi, sit adducta, inque medium prolata. Tamdiu itaque equo Occami insidemus, ac super eo equitantes identitatem potentiarum cum animâ defendimus, donec quis duro aliquo NECESSITATIS telo humi nos prosternat eoque dejiciat.

Intendunt tamen jacula hastasq; torquent contra priorem theorematis partem, CONIMBR. tract. de an. sep. disput. 3. art. 1. p. 614. ADR. HEERBOORD. Pneum. lib. 2. c. 20. p. 174. JOH. MACCOVIUS tract. de an. sep. c. 2. theor. 1. aliiq; plures quos brevitas causâ præterimus. Impræsentiarum autem Maccovii tantùm argumenta, cæterorum conflictui reservatis, perlustrare, diligentius excutere istorumque vires explorare sufficiet. Sic verò l. l. p. 368. argumentatur: *Potentia corporea non potest esse anima conjuncta extra corpus. A. Sensitiva & vegetativa sunt potentia corporea. E. hæc extra corpus anima non possunt esse conjuncta.* At verò, argumentum hoc nimis est gracile, non evincens, evincere quod debebat; telum primâ acie emissum valde est obtusum, ac loricam theorematis perterebrare haud potens. Facile enim distinctione aliquâ, ceu peltâ Amazoniâ, ictum declinamus, atque sic Resp. dist. *Potentia corporea intrinsecè, in se & quoad entitatem, non potest &c. Conc. Maj. & Neg. Min. Potentia corporea extrinsecè, per denominationem extrinsecam, & ab operationibus quas exercet per organa corporea, non potest &c. Neg. Maj. & Conc. Min.* Dicimus itaque potentias organicas esse corporeas, quatenus operationes suas non possunt edere nisi in materiâ; ut visio, dicitur materialis, quia non potest fieri nisi mediante oculo, organo corporeo atque materiali; non esse corporeas, quatenus spectantur in se & secundùm naturam suam.

Assumptio probatur, pergit Maccovius, quia subjectum earum est totum compositum. Intelligit hîc AUT subjectum quo seu inherentia, AUT subjectum quod seu denominationis. Si intelligit subjectum quo, apertè falsum asserit: Animæ enim non minùs conveniunt po-
tentia

rentiæ vitales & sensitivæ, quàm intellectuivæ; siquidem indiscriminã-
tim dicitur principium, unde vivimus, sentimus, movemur & intel-
ligimus. Est igitur singularum potentiarum tam organicarum quàm
inorganicarum subjectum quo seu *inherentia*. Si intelligit subjectum
quod, quid impedit quominus dicam, potentiam intelligendi & vo-
lendi quoque esse corpoream. Nullam enim video diversitatem,
nulla apparet hoc in puncto discrepantia; nam totum compositum
æquè est subjectum tale potentiæ intelligendi atque volendi, ac est
potentiæ vegetandi atque sentiendi. Unde & sub hoc loquendi ge-
nere non anima intelligit & sentit, sed totum compositum, animal vel
homo intelligit & sentit, attamen per animam.

Et, pergit, *objectum earum*, (nr. potentiarum organicarum) *est*
ὄλικόν, *singulare & concretum*. Cur non eodem argumento persua-
deret nobis Maccovius animam rationalem ipsam esse corpoream,
utpote cujus objecta non tantùm sunt spiritualia, sed etiam τὰ ὄλικὰ,
singularia atque concreta?

Et potentiæ illa corporeæ sunt in bestiis, quarum animæ non sunt
per se subsistentes, ut Spiritus hominis ἀθάνατος vel ἀφθαρτος; ideoque
non sunt nobis spirituales, &c. Egregia consequentia; indigna certè
Viro aliàs celeberrimo ac Philosophiæ Theoreticæ nec minùs S.S.
Theologiæ peritissimo. Nonne pari modo argumentarer? Animæ
in bestiis sunt mortales; ideoque & animæ in nobis non sunt immor-
tales. Concedet ne nobis Maccovius hanc sequelam? Nec illum,
nec sanæ mentis quempiam hoc facturum arbitror. Nemo itaque
nobis vitio vertet hanc sequelam simpliciter si *Negemus*, nec tamen
sine omni ratione. Maximum enim inter potentias animæ bestialis
& animæ humanæ intercedit discrimen, quod Author ipse insinuat;
Siquidem potentiæ in bestiis non insunt animæ per se subsistenti,
animæ, ut Spiritus hominis est, ἀθάνατος vel ἀφθαρτος. Atque exinde
est quod non æquè sint spirituales ac sunt potentiæ animæ rationalis,
quòd non sint aptæ ad statum separationis, sed tantùm ad statum in-
formationis. Nec etiam *Antecedens*, prout ibi jacet simpliciter
concedendum: Recurrit enim distinctio supra tacta; *Resp.* igitur
dist. Potentiæ illæ in bestiis sunt corporeæ *extrinsecè & per denomi-
nationem extrinsecam*, **CONC.** Sunt corporeæ *intrinsecè, in se, &*
quoad entitatem. **NEG.**

Macco-

Maccovius viribus argumenti prioris fortassis diffidens ad-
 git secundam atque sic pergit; *Motus vitalis vegetandi & sentiendi*
vegetabilis aut functio non est propria anime, sed communis ei cum mate-
ria & (est) totius conjuncti, Arist. 1. lib. de somno & vigilia. E. nec
vita ipsa, qua facultas, unde operatio elicitur, qua vegetatio & sensio di-
citur, in una anima ut subjecto proprio residet, sed in conjuncto seu ma-
teria forma conjuncta. Consequentiam probo. Quia operatio & fa-
cultas sunt ejusdem subjecti, teste eodem Philosopho. Ast nec hoc ar-
 gumentum causæ nostræ jugulum petit. Non juvat auctoritatem
 Aristotelis toties obtrudere, eâque solâ suam sententiam corroborare
 revelle. Tanta enim ea non est, ut omnia ejus effata ac si ex tripode
 dicta suscipere ac venerabundi adorare debeamus. Magna quidem
 fuit hominis istius in Philosophicis solertia atque scientia, nos ei, tan-
 quam solerti Præceptori multum debemus; at verò, quanta quanta
 etiam illius fuerit scientia, quicquid etiam ei debeamus, non ta-
 men putamus quòd teneamur *ullius jurare in verba Magistri.*
 Nos Pythagoreorum illud *αὐτὸς ἔφα* tanti non habemus, ut quid pro
 quo sine ratione nobis persuaderi patiamur, ut omne quod Aristote-
 les dixit, pro oraculo habeamus. Interim tamen eò nondum adacti
 sumus, ut Philosophum hoc quidem in puncto deseramus, præsto
 enim est lixivium huic prurigini applicandum. Sic itaque ad proba-
 tionem, consequentiæ nimio plus nutanti pro fulcro additam, brevi-
 ter *Resp. dist.* Operatio & facultas sunt ejusdem subjecti *quod* seu de-
 nominationis. *Conc.* sunt ejusdem subjecti *quo* seu inhaerentiæ. *Neg.*

Sed hîc subsistimus pedemque figimus. Tibi, gloriose Deus,
 pro hæctenus concessâ gratiâ & ineffabili clementiâ, sit ho-
 nor & gloria. Sis benedictus in Majestate tua; sis laudatus &
 gloriosus in bonitate tua, nunc & in secula seculorum, Amen.

* * * * *
 * * * * *
 * * * * *

C O R O L L A R I A.

I.

DEUM esse immutabilem, nemo nisi cui cerebrum in calcaneo,
 negabit.

II.

Causa secunda solitariè spectata, cum non sint sufficientes ad actiones
 suas eliciendas, Dei concursu ad actiones suas omninò indigent.

C

II. Apo-

III.

Apotelesma est opus commune duorum vel plurium principiorum, quarum operationes inter producendum manent propria & distincta.

IV.

Libra longiorum brachiorum sunt exactiores quam libra minorum.

V.

Conviviis virorum gravium ac sapientum an rectè adhibeantur Musici, quamvis aliqui dubitare velint; nos tamen à Musicorum partibus stare non dubitamus.

VI.

Non idem est Ex Rector qui Pro Rector.

VII.

Homo mutus quàm homo loqui potest, homo mutus quàm mutus loqui non potest.

VIII.

Meram superstitionem esse asserimus, quando quidam, quoties oscitant vel alimenta assumunt, signo crucis os muniant, ut ita Diabolo viam ingrediendi occludant.

IX.

Pater annorum numero filium non excedit.

X.

Quibus capris cornua defunt, uberior est lactis copia quàm cornigeris.

XI.

Cum in Terentii Eunucho actu 5. scena 2. Pythias ad Chaream dicit: Vix me contineo quin involem in capillum. Q. An involare fit à volo, as, are deducendum. Neg.

XII.

Prava est Germanorum consuetudo, & tam excedit modum quàm quod maximè, dum pari in bibendo mensurâ uti coguntur atq; aequalis ad haustus imbecilles perinde ac robusti urgentur.

XIII.

Si tinnitus in aure dexterâ fiat, honorificam, si in sinistrâ, ignominiosam de nobis fieri mentionem, fabula est.

XIV.

Cum Eva ex substantiâ Adami sumpta sit: Q. An Adam sit eius pater? Neg.

Son

Sonnet.

Ein Geschöpf vol Gott/ vol geist/ vol vernunft/ vol lust und leben
ist des Menschen beste teil/ nie so gut/ als weil es währet
für und für/ und was den leib/ sein vermähltes fleisch/ verzehret/
öfnet ihm die ewigkeit/ diesem/ was wir Seele geben.

Sie/ des Schöpfers Ebenbild/ fuhr aus Gott mit glühndem streben
in den ersten Leichnam ein: Nun/ was dort die Allmacht ehret/
hier der Allmacht dienerin durch vermischten saamen mehret/
sol die Seele sterblich sein / und ihr guht am körper fleben/
wie der mund der narren schäumt; ist es daß man ungefehret
webt und wieder sich verwebt/ ei? was klagt was jagt dan der/
der mehr fürchtet als er glaubt? Sie/ sie wissen nicht/ die dummen/
weder Gottes kraft noch schrift / noch was hier / Herz Schön
feld/ Er

recht erörtert/ und so schön/ daß aus schönem felde her
Ihm ein schöner franz entsproßt/ der sein laub nicht läßt verflümen.

Bemeldetem Freunde verdienstfertiget von

M. Kaspar Baum.

A Monsieur

JEAN ADAM SCHÖNFELD,

sur la dispute de L'AME.

VOus voicy donc mis au hazard
De soutenir nostre regard,
Et point Vostre cœur ne se pâme.
Quel bon esprit fust ce luy la?
Qui le secret vous revela,
Pour raisonner si bien de L'AME.
Grand vostre sçavoir je proclame;
Vous nous menez dans un *Beau champ,*
Vos raisons defendent mieux L'AME
Que ne feroit tout un champ.

Par son tres dediè & affectionné Amy

NICOLAS CHRISTOFFLE CURTIUS.

No!
Jungferren / disputirett/
populiren und studiren
kömmer alles überein
dem/ der ein Student will sein.

2.
Eben Jungfern sind die Meister/
die uns treiben unsre Geister/
daß wir/ um ein süßes kind/
werden was wir noch nicht sind.

3.
Plattus/ der verschrieb die dichten
um die schöne von Korinthen:
Opfz wahrer/ wan er sah
seine braune Slavia.

4.
Dis zu dienst der Amathusen
Also lieben auch die Musen
einen trunk von gutem wein/
sonsten schläft der Lehrling ein.

5.
Ennius jag einen dichten/
eb er handel gieng zu schlachten:
Also lehrt Kratinus recht
ohne wein studirt sich schlecht.

6.
Hui! wo dieses steht zusammen/
steht die lust in vollen flammen/

daß darnach der sinnen lauf
sich zum lernen hurtigt auf.

7.
Bruder/ du verschmehest nimmer
ein vernünftigs Frauenzimmer/
bist auch auf der geigen gut
wan man einst ein trüncklein tuht:

8.
Doch dabei im lernen brünstig;
aber ich bin dem nicht günstig
was du hier zu streit gebracht
und ich niemahls recht bedacht.

9.
Du berichtest wie man scheidet
wan der tod die Seel' entleidet:
O diß reißt mir aus der brust
becher/ bücher/ Jungfern lust.

10.
O diß schweres ungewitter
macht mir alle wohlkust bitter:
Ja/ hier brich den scherz/ meinherz/
und besin dich anderwärts.

11.
Denke wie die Seel unsterblich
und dein leben so verderblich:
dan wird Gott/ der alles schickt/
helfen wan sein Tod mich drückt.

Gut Freund.



Datum der Entleihung bitte hier einstempeln!

SLUB DRESDEN



3 0644151

7. A. 2560

